DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
ARTE OBSTETRICIA HIPPOCRATICA

QUAM
CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
PRAESIDE
LEOPOLDO SOCRATE RIECKE,
MEDIC. ET CHIRURG. DOCT. EJUSQ. PROF. PUBL. ORD.

PRO GRADU MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORIS,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
Mense August. MDCCCXXIII.

AUCTOR
CAROLUS CHRISTIANUS BAUER
VALLIS-CONRADINENSIS.

TUBINGAE
TYPIS SCHOENHARDTIANIS.

PROOEMIUM.

Cum tam in alia quavis re, quam in litteris praesertim cujusque illis dediti interesse sumi debeat, ut sciat, quae ante sua tempora ad eas condendas augendasque, ab aliis sint collata: ex re esse duxi, si partem aliquantulam historiae, quae de arte obstetricia scribi potest, quamque ab aliis jam dudum scriptam habemus, ego latius exponerem. Grato igitur animo venerabilis praeceptoris, Dni. Prof. Riecke consilio usus, quaecunque Hippocrates circa rem generationis in diversis libris scripsit, colligere tentavi. Cum autem perlegenti mihi Hippocratem libri ejus genuini fere nimis pau-

ea ad hanc rem pertinentia offerrent; libri autem spurii ultra spem plurima huc pertinentia continerent, jam in eo eram, ut a consilio illo desisterem, nisi ea me cogitatio retinuisset, opus me haud adeo inutile aggressurum, si eo conameum restringerem, ut, quae circa partum diversis locis dicta sint, in unum colligerem. Missis itaque, quae ad menstrua pertinent, missis fluoribus variis, missis causis et remediis sterilitatis, missis tandem, qui ex puerperio oriuntur, morbis, circa quae cui legere placet, libri de genitura, de natura pueri, de natura muliebri, liber de morbis mulierum uterque, liber de his, quae uterum non gerunt, libri tandem de morbis vulgaribus copiam largam offerunt; ex iisdem fere libris omnia collegi, quae ad institutum meum pertinent.

At cum ipse non nesciam, longiori, quam mihi concessum erat tempore, opus fuisse, si quis hanc rem, quamvis angustam, ea qua decet diligentia, perscrutari voluerit, est sane, quod timeam ne, qui forsan opusculum hoc meum legere dignarentur, taedio abrepti, illud rejicerent, si,

quod ipse ingenue profiteor, opus immaturum in illo conspexerint. Jam vero audeo, indulgentiam illorum implorare, neque me frustra precatum esse, spero, si temporis angustia excusationem quandam mihi praebere videatur, cumque ipse mihi proposuerim, si vita et vires concessae fuerint, futuri temporis me partem aliquam in eo collocaturum, ut in hac re, non facillima maturiore ingenio laborem.

Si quando hic et illic paginae allegantur commonitos lectores habere velim, me in elaborandis hisce paginis editione Foesiana usum esse.

PARTUS REGULARIS.

Ut quae a recto deflectant, melius cognoscamus, ex re est primum perpendere, quae secundum rectum fiant. Ordimur itaque a partu, qualem Hippocrates legitimum constituit. At hic est:

Mulier praegnans si nonum mensem *), vel a conceptionis die, vel ab ultima menstruationis cessatione **) explevit, primos sentit partus dolores; neque id tempus ulla transgreditur praegnans. D. nat. pueri.

*) Mentes solares 30 dierum hic quidem supputantur.

**) Vid. D. morb. vulg. II. 3.

Dolores vero ad partum ideo excitantur, quod foetus grandior jam factus, quam ut ipsi alimentum a matre delatum sufficiat, nunc inquietus factus, manibus pedibusque lumbos matris collidit. Altera vero causa dolorum est, quod coxendices diducuntur. Ideoque, quae saepius peperere minus laborant doloribus, quam quae primum partum experiuntur. D. nat. pueri.

Intermedio vero tempore dolores subinde circa cardiam sentiuntur, si partui propior est. (Coacae Praenot. 547.) Idque ea de causa, quod venter, imprimisque uterus, foetum undique complectatur et comprimat. De morb. mul. I. 167.

Mulier autem quo propior est partui creberiorem semper spiritum emittit. De morb. mul. I. 167.

Ipsa vero illa puelli jactatione tunica primo interna abrumpitur, neque enim firmiter adhaeret, qua rupta, ceterae a) debiliores factae, quam ut foetum possint retinere, et ipsae rumpuntur, et puellus relictis illis primo foras extruditur. D. nat. pueri.

a) Quot vero sint tunicae ignorat Hippocrates, cum tantum dicat, plurimas inter primam oriri, multis vinculis inter se connexas. D. nat. pueri pag. 16.

Liquet ex hac descriptione, Hippocratem sibi cogitasse puerum, qui sua vi atque motu carcerem, quo inclusus sit, rumpere conatus, primos dolores moveat, posteaque uterum sua contractione in reliquum puerum extrudere. Apparet etiam Hippocratem de nervorum pressu non cogitasse, si dolores ex coxendicum distractione derivet. Sed ne quis ideo miretur, cum illi nulla cadaverum humanorum inspiciendorum copia facta sit, ipseque ex animalium anatomia corpus humanum, quoad interna, noverit. Pleraque ideo falsa de anatomia dicta esse, necessario efficitur.

Ruptis vero membranis, si secundum naturam fiat, caput a) primum foras prodit. (Diversorum capitis positionum nulla mentio fit.) Extruso vero capite alia sensim membra et postremo umbilicus sequitur, ex quo secundae dependent. Tum vero si mulier sana est, sanaque manet, sanguinis, qui cito concrescit, Hemina attica b) et dimidia primo effunditur, isque velut a victima defluit, sensim vero sanies ichorosa et glutinosa subsequitur, donec prorsus sistatur. Hujus vero purgationis c) tempus, si quae puerum enixa sit, dierum 20 — 30, et si feminam, 25 — 40 est. D. nat. pueri.

a) Caput vero ideo primum exit, quod aut puero ex umbilico li-

brato, pondus suum secutum, ad inferiora tendat (V. d. nat. pueri pag. 26) aut quod primo quidem capite sursum tendens, sub octavum mensem puer invertatur, ut caput deorsum vergat. D. partu octimestri. D. pueri in utero mortui exsectione.

b) Hemina attica aequat uncias sedecim.

c) Tempus vero purgationis puerperii ideo necessarium videbatur Hippocrati sic constitutum, quod tantumdem dies foetus pauxillum tantum alimentum attrahat, donec distinctis singulis partibus, quas in puero circa trigesimum, in puella circa quadragesimum secundum diseernere liceat, copiosius capiat alimentum. D. nat. pueri pag. 18. Theoretica certe fictio!

Quod si gemini gestantur, eodem die quemadmodum concepti sunt, et utero excluduntur. De nat. pueri.

Eodem vero die ambos gigni ideo necessarium, quod postquam uteri conceperint, eorum osculum (ςομαχος) clauditur et connivet. Aphor. V. 51.

Binis autem simul foetibus gravidam esse, ideo mulieri contingere potest, quod in ejus utero bicorni alii post alios sinus excavati sint, quorum pro se quisque foetum capere potest. Sic enim in animalibus (in canibus et suibus) esse solet... ergo etiam in homine. D. nat. pueri. D. superfoet. Geminorum autem cuique propria velamenta conceduntur in libro d. nat. pueri; ambos vero in uno involucro contineri, liber de superfoetat. contendit.

Locus autem in quo mulieres parere solebant, erat aut lasanum, si sedere possent, sin minus, sella recubitoria perforata, et si ne hoc quidem possent, lectus, a capite in altum exstructus, cui parturiens, ne subter laberetur fascia, aut loro lato et molli, alligabatur 1). (D. superfoet. p. 43.) Mulieri, sic secundum naturam parturienti, feminae, ad id potestatem et qualitatem nactae, (μαῖαι, ὀμφαλότομοι) auxi-

lium ferebant, et medicamentis et carminibus dolores parturientium aut imminuere, aut etiam augere posse, credebantur. Erant autem feminae, quae partus jam expertae, propter aetatem essent steriles; idque ea de causa, quod Diana, parturientium auxiliatrix, utero nunquam gestasset; et quod partum expertae melius scirent, quod auxilium esset praestandum. Erant autem eae ipsae et nuptiarum conciliatrices, quod melius scire possent, quae naturae liberis procreandis aptae congruerent. Hae igitur excipiebant infantulum prodeuntem, secabant, si vitae suae infans signa manifesta edidisset, umbilicum, filoque 2) laneo ligabant; postea lotum neonatum, velamentisque involutum in incunabulum 3) deponebant. Platon. Theaetet.

1) Lectus transversus Hippocrati nondum in usu erat, quem autem jam Celsus d. medicina lib. VII. cap. 29. describit.

2) Filo laneo usas esse ex Osianderi historia artis obstetr. sumsi, cum me locum fugisse ingenue fatear, ubi ejus rei mentio facta sit.

3) Vid. d. Fracturis.

Mulieri autem recens enixae collyria injiciebantur hujus generis: „Si nulla parte dolor est, amygdalas amaras terito, et oleae tenera folia et anisum et erysimum et origanum et nitrum, et his mixtis et ad laevorem tritis, collyria conficito." D. morb. mul. I. 174.

Sin autem partus esset difficilis, minusque secundum naturam, Medici in auxilium vocabantur. D. superf. 43.

PARTUS IRREGULARIS

variis causis oritur; quarum aliae in tempore, aliae in femina, aliae tandem in infantulo, aut partibus illum proxime cingentibus positae sunt.

Quod *tempus* attinet, interdum ante tempus legitimum partus intrat; et quidem id iis maxime accidit, quae paucum tantúm sanguinem menstruum fundere solent. Ob minorem autem ad uterum sanguinis affluxum, et puero nutrimentum ante tempus jam non sufficit, ipseque quemadmodum maturus, inquietus factus, jactatur in utero, ruptisque velamentis foras egreditur. D. natura pueri.

Ex his autem ii minime superstites sunt, qui circa octavum mensem eduntur, quod eo tempore ob mutationem a), quam in utero patiuntur debiliores sunt. D. partu octimestri.

a) Versio in caput spontanea (culbute) subintelligitur.

Partus undecimestris non re vera accidit, et si quae ad undecimum usque mensem gestasse sibi videntur, ipsae eo frustrantur, quod uteri ex flatu, quem venter suppeditat, intumescunt, et menses retinentur, quibus deinde si novi accedunt, tum emittuntur, osculo uteri suo sponte aperto, et si hoc tempore cum viris congrediuntur, concipiunt, ipsae vero existimant, eo tempore, ubi menses erant suppressi, concepisse. D. nat. pueri. 27.

Partum vero irregularem faciunt morbi qui reliquo mulieris corpori forte accidunt. Gravissimis hujus generis morbis adnumerandae *convulsiones*. Oriuntur autem illae aut ex plethora aut ex inanitione, nec quid melius illis succurrit, quam febris oborta. Aphor. II. 26; IV. 57; V. 5. Hanc autem

febrem movere illis oportet; in vesicam oleum cerae tepidum infundere, et alvum clysmate eluere. D. morb. vulg. II. 5. Malum autem portendunt, si ex multa sanguinis profusione oriuntur. Coac. Praenot. 538. Aphor. V. 56.

Si *rigor* ex partu aut abortu ceperit, fructnm juniperi cum salvia simul contritum, aceti albi cyatho a) maceratum, affuso vini albi temperati cyatho involutum et residere permissum, mane vero percolatum, et tepidum potui exhibeto. D. not. muliebr. 145. D. morb. mul. II.

a) cyathus aequat sextam heminae atticae partem.

Ad *suffocationem* castoreum exhibeto. De his q. uterum non gerunt. 252.

Si *anhelationes* invadunt, sulphuris fabae quantitatem, nasturtium (seu cardomomum), pari portione, rutam a) et cuminum aethiopicum b), haec tenuiter trita, vino macerata, jejunae potui exhibeto. Cibis autem abstinendum et non crebro edendum. D. morb. mul. I. 167. D. nat. mul. 176.

a) Ruta propter virtutes pectorales in magno honore habetur, v. Bock „von der Kreuter Unterscheid Nutz und Wirkung." xxvjj.

b) Hoc cuminum aethiopicum alias ammi audit; apud Tragum pag. cccxxx. Ameos; egregie laudatur contra tormina ex utero. An ammi meoides recentiorum?

Hoc remedium puerperis quidem propinare scriptum est, sed non dubito, quin parturientibus sit propinatum.

At ob *dolores* partus fit gravis. Mitigantur autem dolores, (mitigari certe creduntur) cervi pudendo sicco, ex vino albo deraso. V. de his, quae uterum non gerunt. 249.

Si lumbis doleat, femina anisum et cuminum

aethiopicum bibat, calida lavet. D. morb. mul. I. 167.

Et si a partu dolor circa sedem detinuerit, per quatuor dies juniperi fructum vel lini et urticae a) semina bibat. — De morb. mul. 174. 194.

a) Haec urtica verisimile urtica pilulifera est. (Römisch Nessel Bock l. c. I.) Cum ipsius semen sicut et lini urinam movere, lumbos a pituita purgare, et ad actiones naturales impellere dicatur. L. c. quae virtus est etiam juniperi fructui.

Grave autem est, si *qua ex partu sanguinem vomitione rejiciat*, huic enim hepatis fistula perforata est, et dolor ad viscera pertingit, corque convellitur a). Hanc calida multa lavare oportet, et quae maxime suscipit, tepefacientia adhibere, lac asininum b) per dies septem aut quinque propinare. Deinde lac vaccae nigrae, jejunae, si ferre possit, ad dies quadraginta propinare, vespere autem sesamum c) tritum. V. d. morb. mul. I. 172. De nat. muliebr. 144.

a) Quid intelligendum sit sub hac hepatis fistula (ἥπατος σύριγξ) ex libris: de locis in homine, de corde, de resectione corporum, in quibus de vasis sanguineis et de intestinis sermo est, non liquet.

b) Lac asininum ventrem ducit, decoctum vero alvum adstringere creditur. Vid. d. morb. vulg. liber vjj. pag. 305. Edit. Foes. annot. H.

Lac bubulum minus alvum ducit magisque nutrit. Eod. loco.

c) Alyssum sativum (Leindotter s. Bock v. d. Kr. Unterscheid Nutz und Wirkung CCCLII.). Secundum Chabraeum planta, quae fert siliquas, costis 4 donatas, quae semen medulla alba dulci praeditum, includunt. V. Chabraei stirp. sciagr. 625.

Hanc haemoptisin saepe accidisse, supponere licet ex ster-

nutamentis et concussionibus in partu difficili frequenter usitatis.

Quod *partus, ex vitiis partium ad partum maxime pertinentium difficiles*, attinet, ii saepe ex *nimia pelvis amplitudine* prodeunt.

Nam pueri quamvis facile ac tuto edantur, accidit tamen saepius, ut statim post partum intumescant, qui tumor, nisi intra tres dies subsideat mortem pueris aut morbum certe adfert. Vid. de partu octimestri.

Ergo doctrina hippocratica jam exposuit, non esse, quod de partu admodum facili nobis gratulemur.

Eadem nimia pelvis amplitudo saepe causa est, situs pueri transversi D. nat. pueri.

Pelvis admodum angustae, nulla fit mentio, sed nihil vetat, supponere, hanc saepe fuisse causam, cur infantulus, non nisi cum maximo labore, aut prorsus non prodiret e. gr. d. superfoet. 42. D. excid. puero in utero mortuo.

Quantum pelvis inclinetur nulla habita est ratio.

Ad *difficilem partum, cujus ex uteris* causa orta est, plurimum certe confert *absentia dolorum.* Quae cum ita essent, mulieri propinabantur cibi potusque, qui dolores moverent, medicamenta quoque, quae ad rem hanc facerent. Ex his superiorem locum tenuit Dictamnus creticus, a) Abrotanum b) Cedri baccae, c) Lauri radix derasa aut baccae, ex vini dulcis cyatho tritae; multaque alia.

a) Dictamnus creticus verisimile D. fraxinella recent. cum hanc plantam ex Creta ad nos transmigrasse. (V. Bock von der Kreuter ꝛc. p. LI.

b) Artemisia Abrotanum. Chabraei stirp. sciagr. 635. Bock von der Kreuter Unterscheid etc. CXXIX.

c) Cedrus haec est Juniperus Sabina (S. Bock von der Stauden, Hecken und Beumen Unterscheid und Wirkung) pag. LI.

At etiam uteri os agitatorio aliquo (Cucumeris agrestis succo incrassato) inungebatur. De superfoet 42. Suffitus ex resina, cumino, *) cortice pini facere oportebat. D. morb. mul. I. 168.

*) Carum carvi rec.

Si vero ob sanguinis redundantiam juvenis aetateque florens, per plures dies jam laborans, parere nequeat, primo venam in malleolis secato, detractoque pro virium ratione sanguine, propinato, quae partum accelerant. D. morb. mul. I. 189.

Jam ergo patrem artis medicae non fugit, sanguinis abundantiam dolores supprimere!

Et sternutamenta et concussiones in auxilium trahebantur, si illa minus proficerent. V. D. superfoet. De morb. mul. I. II. multis in locis.

Ex *contractionibus uteri contrariis* secundae saepe relinquebantur, si umbilicus justo citius sectus esset. Erat ergo lex, non prius secare umbilicum, (si foetus mortuus esset,) quam secundae essent secutae. De morb. mul. I. 175.

Uteri en partu, laesiones, non minus partum irregularem constituunt, et non raro animadvertebantur; violento enim pueri egressu venae ruptae causa erant effusionum sanguinis. D. morb. mul. I. 171. saepeque uteri osculum inde concrescere, cancrumque gigni adimadversum est. D. morb. mul. I. 171. 179.

Si igitur cum pure sanguis efflueret, balnea tepida et fomentationes in usum trahi solebant, spongiae aqua frigida cum emollientibus imbutae supponebantur, intus vero medicamentum ex semine

lini et fructu sambuci propinabatur. D. morb. mul. I. 179. 182.

Saepe etiam partus ideo fit irregularis, quod uterus magis minusve prolapsus est. D. nat. mul. 127. D. foet. in utero mort. exsect. Cujus curatio cum ab consilio meo longius recedat, mitto eam.

Gravissimis quae parturienti accidunt malis adnumerandae sunt *purgationes nimiae*. Namque si parturienti ante infantem fluxus sanguineus abundus sine dolore accidat, in periculo versatur, ne aut infans mortuus aut minime vitalis sit.

Hujus exemplum egregium narratur in libr. de morb. vulg. II. 236. ubi „Femina quaedam Larissaea in utero gerens, decimo mense quatuordecim ante partum diebus, maxime vero a tertio ante partum die multum sanguinis effluxum passa esse narratur, et post editum puerum mortuum tertio demum die secundas solutas esse.

Equidem hic non dubito, quin solutio placentae praematura partialis contigerit. — Sed metum tali sanguinis effusione motum esse, non miror, cum nusquam partum ideo arte acceleratam invenerim.

At nimiae sanguinis post partum effusionis ea causa est, si uteri ore lato, aut venarum quae ad uterum tendunt, aliquae violento pueri egressu ruptae sunt. D. morb. mul. I. 174.

Si in partu purgatio copiosa descurrat, uterus contrahitur, et vesica et intestinum neque stercus, neque urinam continent, sed emittunt. Ova igitur sorbenda dato, et panem subcineritum edendum. D. morb. mul. I. 169.

Certe autem hic incontinentiarum vesicae et intestini cura magis est habita quam purgationis copiosae.

Cum parturienti *ante partum aquosa multa defluunt*, hoc malum denunciat Cöac. Praenot. 513. Namque partum ob siccitatem genitalium difficilem reddunt. D. foet. in utero morb. exsect.

At pudenda cum plus quam conveniat sicca tibi esse videantur, cerato inungenda D. superf. 42.

Si quae in partu est, sicca fuerit, nec, nisi aegre humectetur, oleum bibendum, et loci oleo calido et malvae decocto calido perfundendi et cerato liquido inungendi. De morb. mul. I. 169.

Gravis autem et periculosus est partus, si *cui foetus in utero involucrum prius quam foetus prodeat.* D. superfoet. 41.

Quod si *ad humerum umbilici injectio obnitatur* tum etiam matrem magis laborare, et puerum aut interire aut difficilius exire necesse est. D. partu octimestri.

Circumvolutus autem circa collum umbilicus causa est, cur foetus transversus ceciderit, quod fieri solet, ubi sub versionem pueri umbilicus circa collum vertatur. D. pueri in utero mort. exsect.

Ex uteris postremus exit *umbilicus, si enim priori loco exiret,* non utique per ipsum ad puellum nutrimentum permearet, cum ex eo propendeat. D. morb. mul. I. 174.

Hic ita loquitur Hippocrates, ut dubium mihi moveat, an ipse unquam umbilicum viderit prolapsum, nam necessario postremo exire, neque aliter posse, mihi contendere fere videtur. Non miror itaque, si non docuerit, quod faciendum, si illud tamen contigerit.

Descendimus nunc ad *partus ex foetus vitio* vel *falso ejus situ* laboriosos.

Deformitates aliquot narrantur, sed nullus inde partus erat difficilis, cum tamen locum hic habeant, operae pretium duxi eas hic adducere: Foetus alter quamvis bene formatus carebat omnibus ossibus,

sed quatuor tantum digitorum longitudine erat. De morb. vulg. II. 2.

Alter mortuus brachium dextrum habuit adnatum. D. morb. vulg. V. 236.

Mutilari multos jam in utero foetus brachiis aut pedibus, satis edocemur ex libro de articulis.

Causae vero harum mutilationum foetus in eo ponebantur, quod aut mater vim esset perpessa, ut, si lapsa esset, aut plagam accepisset; aut, quod foetus in angusto nimis utero non potuisset omnibus partibus formam justam consequi, sicut arbor, cui sursum tendenti aliquid obstat, incurvatur; aut, si a parentibus vitium hereditarium habuerit, id ideo contingere credebatur, quod genitura, ex qua foetus primum ortum ducit, ex omnibus, tam fluidis, quam solidis parentum partibus aliquid in se habeat, ideoque formam partium in novum hominem transferat. De genitura 14.

Quis neget Hippocrati jam hic theoriam involutionis ante oculos versatam esse?

At etiam animus valet multum in formatione foetus: namque, si mulier carbones aut terram vehementer appetat, eave comedat, eorum signa, postquam puer editus est, in ejus capite cernuntur. De superfoet. 43.

Haec perantiqua opinio, an jure a recentioribus prorsus relicta sit? roget aliquis.

Molarum hic meminisse, ne quis recuset. At molae oriuntur, si menses copiosi paucam et morbosam (crassam, de morb. mul. II. 232) genituram conceperunt, neque geminus foetus gignitur, venterque non secus, ac gravidae plenus est, nihil vero in eo movetur, neque lac in mammis

gignitur, pectus tamen turget a). — Et si una quidem caro fuerit, mulier cum superesse non possit, perit b), sin multae, ei per pudendum erumpit sanguis multus et copiosus et carnosus, sique moderate contingat, servatur; sin minus, profluvio correpta perit. — Hanc ne fere curato, aut certe cum praedictione. („Hanc potissimum curato" legitur in l. d. morb. mul. I. 184.)

Ac primum quidem mulierem toto corpore foveto, deinde per sedem, uti perpurgetur infusum immittito. Frequenti enim collutione concalefacta a medicamento muliere, foetus, qui concretum aliquid esse videtur, forte commovetur c). Quinetiam uteros, quo sanguinem educas, colluito. Alioqui suppositiis ex Bupresti b) violentissimis utendum, et Dictamnus creticus ex vino propinandus, sin minus castorii testis. — Eique posteriore parte ad lateris inanitatem cucurbitam admoveto e), plurimumque detrahito. De his q. uter. non gerunt.

a) Absentia lactis, motuumque pueri gravissima signa sunt. Ad motum autem primum masculo trium mensium tempus conceditur, foemellae quatuor. D. nat. puer. p. 21.

b) Opinor Hippocratem hic una carne polypum subintelligere.

c) Subintelligendum existimo „quo certior factus sis."

d) Insectum admodum acre, ex coleopterum familia.

e) An ideo, ne inflammatio, in utero mota, per corpus ceterum latius diffundatur?

Quid vero puerum attinet, is ob nimiam *corporis magnitudinem* partus facit aliquando difficiles.

Quod si puer recte constitutus, ad partum progredi nollet, (aut etiam, si minus recte esset con-

stitutus,) et medicamenta et sternumenta nihil profecissent, ad concussiones parturientium confugebatur. Eae autem concussiones triplici modo distinctae erant. Primum harum concussionum genus id erat, ut femina axillis comprehensa aliquoties vehementer concuteretur. D. morb. mul. I. 191.

In secundo genere mulier in lectum altum, firmum, substratum reclinabatur; circa pectus autem et axillas et brachia fascia aut loro lato et molli velut cingulo comprehensa, ad lectum alligabatur, et crura recurvata per vincula malleolis injecta continebantur. Quibus factis mollium virgultorum fasces, aut aliquid hujus persimile ita disponebatur, ut lectum in terram projectum non sineret pedibus, qui ad caput sunt, terram attingere. Tum mulier jubebatur manibus lectum apprehendere, et a capite sublimem habere, ut in pedes propenderet, ea tamen cautione adhibita, ut ne mulier praeceps ferretur. Haec autem dum ita praparata fuerint, et lectus in sublime erectus, a parte posteriore virgulta arida erant ponenda, et quam maxime dirigenda, ut dum lectus projiceretur, pedes terram minime attingerent. Ab utroque vero pede hinc et illinc vir unus eum attollebat, ut lectus recta decideret, plano aequabili momento, ne quid in eo divelleretur. Concutiendum autem maxime erat simul ac partionis dolores urgerent. Quod si foetus quidem discesserint confestim cessandum, alioquin per intervalla concutienda, et suspensa in lecto erat continenda mulier. Ad hanc rem autem unguenta, collutiones mucosae et fomenta adhibebantur. Quae autem obstetricio munere fungebatur, aperire uteri osculum emollientibus studebat. D. morb. mul. I. 183.

Si ad tertium modum mulier concuteretur, super tenue linteum reclinabatur, linteo alio injecto, quo ejus pudendum obvelaretur, et utrumque crus, et utraque manus tenui linteo circumtegebantur. Duae mulieres utrumque crus, et aliae duae utramque manum apprehendebant. Deinde eam ipsam non minus quam decies valde concutiebant. Postea mulier in lectum reclinabatur, ita, ut caput deorsum crura autem sursum haberet, et mulieres omnes dimissis manibus crura apprehendebant, eamque crebro in lecto concutiebant, facta in humeros rejectione, uti in ampliorem locum concussus foetus, converteretur, et naturaliter prodire posset. De foet. in utero mort. exsect.

Ex his concussionibus certe ultima plurimum valuit ad situm foetus mutandum. At certe leves et insontes admodum non erant.

Sin igitur infans naturaliter membranis relictis, capite extra uteri osculum in apertum veniente, corpore reliquo non amplius progrederetur, puer vero mortuus esset, digitis aqua madefactis, inter uteri osculum et caput insertis, digitum in orbem circumducere, deinde digito, mento subdito, in os trajecto, foras extrahere, lex erat.

Haec per manus extractio aequat magis auxilium, per uncum quam per forcipem obstetriciam adhibitum, et multum certe in eo peccabatur, quod digito in os immisso, caput a pectore remotum, mentum vero obstaculis magis erat obnoxium.

Quod si prorsus progredi nollet, capite gladiolo (μαχειρίῳ) incurvo magis quam recto, dissecto, instrumento (Περιέςρῳ) ad id confecto capitis ossa comminuta per ossium volsellam extrahebantur, aut unco attractorio, ad claviculam, uti firmiter adhae-

reret immisso, non confestim, sed paulatim remittendo, rursusque adurgendo puer extrahebatur. Quibus foras extractis, si in humeris haesisset, utraque brachia ad ipsos articulos secabantur. Postea, siquidem fieri poterat, et reliqua extrahebantur. Sin minus, pectus omne ad jugulum usque discindebatur, ea tamen cautione adhibita, ne ad ventrem sectio perpenetraret, et aliquam ejus partem in foetu denudaret. Excideret enim venter et intestina, atque etiam stercus, magisque negotium facesseret. Tum contundere costas, scapulas conducere, solitum erat; et sic puer facile sequebatur, si non venter intumuisset; si enim ejusmodi aliquid esset, ventrem leviter perforare praestabat; cum flatus tantum sic erumperet, atque ita facile prodire posset. D. morb. mul. I. 183.

Sin autem quaecunque alia quam caput infantuli pars primo exitum affectabat, illam retrudere et foetum in caput vertere omni studio tentabatur. Regula autem circa hanc versionem data haec jubet: Si puerum protrudere aut vertere vis, mulierem reclinato, et molle quid coxis supponito et pedibus lecti aliquid supponito, ut altiores a pedibus mulieris esse queant. Quin etiam ne cervical capiti subsit, ad ea prospiciendum, ut coxae capite sint altiores. Cum vero retro protrusus foetus huc et illuc circumagatur sublatis lapidibus lecti pedibus suppositis, et eo quod coxis subditum erat, lectum in pristinum statum restituito et capiti cervical subdito. — Vertere autem oportet, si aut brachium aut crus aut ambo foetus emiserit, aut si transversus cubuerit, aut coxis incubuerit, aut lateris inanitatem praebuerit, aut duplicatus in uteri osculo incubuerit. D. morb. mul. I. 183.

Haec in caput vertendi ratio necessario supponit, esse foetum adhuc liberum in superiore pelvis parte; quae cum ita sint, nescio cur nostra aetas tam vili pretio hanc operationem habeat; et Osiandero, tam multis aliis rebus de arte obstetricia optime merito, certe, ut equidem existimo, non minima laus et ideo debetur, quod hanc operationem, saepius certe salutarem oblivioni ereptam nostrae aetati de novo quasi reddidit.

Sin autem crura utraque in conspectu permanserint, neque alium processum fecerint, fotu ex odoratis erat utendum, quo maxime humidus redderetur uterus, et si per hoc fomentum non discessisset, uteri osculum agitatorio aliquo (cucumeris succo incrassato) et si siccum esset, cerato inungebatur, et reliqua, quae partum promovere diximus, adhibebantur. Sin autem corpore reliquo extra uteri os veniente caput haesisset, digitis aqua madefactis et in orbem circumductis, manus ambae aqua madefactae inter uteri osculum et pueri caput insertae caput apprehensum educebant. D. superfoet. 42.

Hic certe primum indicium inveniendae forcipis obstetriciae constitutum habemus. Nam manus duae, quid aliud sunt, quam vectis duplex homodromus, cujus hypomochlion proprium in suo cuique carpo est; forceps obstetricia, quid aliud, quam vectis duplex heterodromus, cujus commune hypomochlion est in claustro? Atque merito stupemus, si perpendimus, ultra viginti secula elapsa esse, donec aliquis de prolongandis manibus cogitarit, et instrumentum humano generi tantum inserviens invenerit! At certe gratiam Palfyno, de hoc invento, omnis posteritas maximam debebit.

Cum autem brachium aut pedem foetus emisisset, neque etiam puer in caput inverti potuisset, brachium vero, aut quicquid procubuerit, intumuisset, et puer mortuus intus esset (brachium enim exsertum tumidum emortui infantis signum est. De excidendo in ut. puero mort.), quicquid foras pro-

mineret abscindere in usu erat. D. morb. mul. I. 183.

Ad hanc vero rem mulier in lectum reclinata, tenui linteo supra mammas injecto praecingebatur; caput autem etiam linteo obvelabatur, ne mulier, si, quod cum ipsa ageretur, vidisset, perterreretur. Si igitur foetus in obliquum prolapsus manum eduxisset, ea apprehensa, ut quam maxime educeretur, conandum erat. Brachio vero excoriato, ejusque osse denudato, squatinae marinae pellem siccam medicus circa duos digitos obligabat, ut ne caro sua lubricitate elaberetur. Post haec autem, detracta circa humerum carne, ipse juxta articulum eximebatur, deinde foetus caput, naturaliter protrusum educebatur. Foetus autem digito intro retrudebatur vel scapellum per jugulum aut costas adigebatur, quo flatu emisso et concideret foetus et facilior ei exitus pateret. Caput autem si fieri posset (manu alte immissa), naturaliter protrudebatur, sin minus, in partes comminuebatur. Deinde mulier, calida multa affusa, oleo illita decumbere jubebatur pedibus alternatis. De excidend. puero mort.

Hic quod apponam nihil habeo, praeter hoc unum, quod haec dissectio rarius certe exigatur, ex quo Celsus versionem in pedes (vd. Cels. de medicina lib. VII. cap. 29.) arti obstetriciae dedit; et brachium tumidum desiit esse mortis signum.

Tandem, si puer mortuus intus esset, nullaque parte progredi voluisset, medicus manu cerato maxime lubrico illita, et in uterum inclusa, valido pollicis appressu caput ab humeris dividebat, ad quam rem unguis ferreus a) pollici adaptabatur; eaque discissione facta brachia educebantur, deinde venter discindebatur, et exemtis sensim intestinis,

costae molles erant conterendae, quo considens corpusculum facilius exiret.

Si secundae non facile sequerentur umbilicus non statim secabatur, sed ut pondere suo puer eas secundum se traheret, propendebat ex iis, donec sequerentur. Ne autem violento tractu uteri inflammationem caperent b) muliere aliquid in altum collocata, foetus super lana, recens carpta, et in altum accumulata ponebatur, qua sensim considente umbilicus et ex eo secundae sensim traherentur; interdum etiam sub lana utriculi duo colligati aqua pleni, cum puer impositus esset lanae, stilo pungebantur, quo aqua sensim efflueret. Sin umbilicus jam abscissus aut abruptus esset, pondera convenientia alligabantur, ut traherent. D. superf. 42.

a) Accuratior hujus unguis descriptio desideratur.

b) Nescio, cur Hippocrates uteri inflammationem timens, non cogitaverit de ejus inversione; inversionem autem veram atque completam nunquam vidisse videtur.

c) Mortuum autem esse puerum, id habuit signum, si ille in matris ventre velut saxum huc et illuc laberetur, prout mater in latus hoc aut illud decubuerit. Id quoque erat signum, si mulieri regio supra pecten calorem naturalem non haberet. D. superf. 43.

Ad eamdem quoque rem sternutatio erat excitanda, per quam mulieri os et nares comprimendae. V. Aphor. V. 49.

Et intus medicamenta propinari solebant, quorum maximi nominis erant, Artemisia herba, Dictamnus, violae albae a) flores, agni casti folia ex vino et melle trita et affuso oleo tepefacta. D. morb. I. 175.

Vehementiora etiam, ut Elaterium b) oboli attici pondere ex vini albi cyatho propinabantur. D. superf. 48.

In subdititiis maxime laudatur Cucumeris agrestis succus in mazam subactus, ubi mulier prius per biduum cibo abstinuerit. D. morb. mul. I. 198.

Et myrrham tritam, vellere exceptam, in subdititio apponito. De natura mul. p. 147.

a) De hac viola alba (λευκόϊον) ambigua habent scriptores; Trago Hippocrates videtur violam odoratam (Merzenviolen) subintellexisse V. Bock von der Kreuter Untersch. ꝛc. CCXIII.

b) Succus cucumeris agrestis (Cucum. colocynth.) incrassatus.

ABORTUS.

Praeter terminum partus legitimum dolores ad partum maxime etiam circa mensem tertium, quintum, septimum et nonum sentiuntur, neque tamen non et circa secundum, quartum, sextum. D. morb. vulg. VI. 8.

Certe numeri impares in auctoritate nimia habentur.

Ad abortum faciendum multa valent, quae partim extrinsecus matri accidunt, partim vero ex animo, partimque ut plurimum a matris corpore exeunt.

Nonnihil valent *tempestates*. Nam hiemem australem et pluviosam, et mitem, si ver siccum et aquilonium a) excipiat, mulieres, quae forte uterum gerunt, quavis data occasione abortiunt; aut, si quando pariant, infantes infirmos et morbosos enituntur, qui aut intereunt statim aut vitam morbosam trahunt. Aphor. II. 5.

a) Et derepente aestas, aestus et mutatio nimia insequatur; ex lib. de aëre locis et aquis pg. 70 adjungo.

In civitatibus, quae ventis calidis sunt expositae, tectae vero a septentrionalibus, aquis palustribus et lacustribus utuntur, mulieres morbis et fluxionibus sunt obnoxiae, deinde multae morbo, non natura steriles, crebrisque abortionibus affliguntur. D. aër. loc. et aq. 64.

Nam si uteri pituita redundant, in iis flatus oriuntur, et menses prodeunt pauci, albi, pituitosi, interdumque sanguis tenuis, membranis plenus, nonnullis etiam conturbatur; terque mense comparet; neque prae humiditate viri congressum expetit, neque ad venerem exercendam incitatur, et extenuatur. D. morb. mul. I. 175.

Debiles autem et macilentae non possunt infantem ad maturitatem perferre, donec crassiores factae sint. Aphor. V. 144.

Causarum externarum maxime mechanicae possunt abortum movere; nam cum invalida onus vi sustulerit, aut plagum acceperit, aut saltarit, in periculo est, ne abortiat. D. morb. mul. I. 165.

His concussionibus Hippocrates (aut Pseudohippocrates aliquis) non timuit uti, cum fidicinae, quae conceperat, ipsum consultanti in terram aliquoties desilire suaserit; quod postquam septies fecerat, ovum cum sonitu delapsum est. D. nat. pueri. 16.

Atque etiam animi vehementiores emotiones, metus, consternatio, vociferatio abortum faciunt. D. morb. mul. I. 165.

Animus maternus cum tantum valeat in vitam foetus, nescio an prorsus negandum sit, posse etiam in faciem formamque ejusdem influere?

In causis abortus maxime et febres sunt, quibus praegnantes citra causam manifestam valde extenuantur. Aphor. V. 55.

Et quae suspiriosum in febribus spiritum emittunt, abortiunt. Coäc. Praenot. 530.

Cum exspiratio intercisa indicet aut inflammationem aliquam internam, aut exhaustas valde et subrutas vires, intelligitur gravitas hujus observationis.

Mulieri, in utero gerenti, si venam incideris, abortum facit eo magis, quo major foetus est. Aphor. V. 31.

Huic sententiae in totum assentire experientia vetat.

Si aqua in uteris suborta fuerit, menses deteriores, pauciores, et longiore tempore fluunt, et interdum duobus mensibus aut paulo plus utero gerit, quo exacto tempore et foetum corrumpit. De nat. mul. 140.

Mulieri in utero gerenti si menses prodeant, non potest, non fieri, quin foetus morbo laboret. Aph. V. 60.

Id sibi vult Hippocrates de mensibus posterioribus intelligi, nam „menses non prodeunt mulieri, quae praegnans est, nisi paucis pausillum primo mense." D. nat. pueri. 16. — Et, si uteri plus aequo dehiscant, sanguinem sicut prodire consuevit, effluere sinunt, et quod in uteris continetur tenue et debile evadit. Verum, si diligens cura adhibeatur, tum mulier, tum foetus melius habet. D. morb. mul. I. 164.

Quae mediocriter corpulentae abortum faciunt sine manifesta causa circa mensem secundum aut tertium, iis acetabula mucoris sunt plena, nec prae pondere foetum continere possunt, sed abrumpuntur. Aphor. V. 45; De morb. mul. I. 176.

Hanc abortus causam fictam esse cogimur credere, quod in partibus posita est, quae sunt homini nullae. Verum, cum paulo post scriptum sit, hunc abortum accidere mulieribus, quibus mucosa, quae non mordent, paulo ante et post menses defluant, rogem, annon potius feminae fuerint, in quarum corporibus virus aliquod exanthematicum latuerit?

Mulier, quae concipit quidem, foetus autem bimestres aut trimestres aut quadrimestres perdit, eo exacto tempore, neque prius neque serius, idque bis aut ter illi contigit; — huic uteri jam non in amplius increscunt, si foetus augeatur, et si id temporis spatium superet, vel si quando alias augeatur, uteri non amplius capiendo foetui sufficiunt, sed hac de causa eo tempore perditur. D. superf. 44.

Et hanc abortionis causam fictam esse ideo censeo; cum Hippocrates, qui nullum unquam uterum humanum vidit, quomodo tandem videre potuit nimis angustum *)? Hoc idem existimo, si uteri flatulenti, densi, magni de abortu accusantur, v. d. morb. mul. I. 165.

*) Hanc attamen causam non statuendam, et recentiorum quidam statuerunt, ut edocerent, quomodo fieret, ut foetus tempore legitimo extruderetur.

Mulieri in utero gerenti si alvus multum fluat, periculum est, ne abortiat. Aph. V. 34.

Ciborum nimius aut parcior usus cibique et potus amariores et acriores abortum movent, nam alvus inde turbatur. Fluentis autem alvi molestiam uteri sentiunt. D. morb. mul. I. 165.

Multa autem quoque medicamenta possunt abortum movere. Ex his maxime celebratae erant plures cucurbitaceae ut cucumis agrestis; 1) ex ranunculacearum familia Delphinium staphis agria, ranunculus aliquis; ex colchicaceis veratrum nigrum; ex coniferis Cedri (Junip. sab.) baccae et resina nescio quae; Helxine 2) etiam in fama erat.

1) Cucumis colocynthis, recent. Colloquinten s. Bock von der Kreuter Unterscheid ꝛc. CCCIII.

2) Helxine, i. q. Parietaria vd. Chabraei stirp. sciagr. 307.

Signa vero abortus secuti a mammis erant su-

menda. Namque, mulieri in utero gerenti si multum lactis ex mammis fluxerit, infirmum foetum significat; si solidae fuerint saniorem foetum significat. Aphor. V. 52. De morb. vulg. II. 6.

Consentaneus est hic Aphor. Hippocratis theoriae de lactis ortu, et de nutrimento puelli. Quum quidem quod ex sanguine edulcificatum sit, in lac verti, ejus sit opinio; quod lac partim ad foetum deferri, qui jam in utero ore illud sugat; partim vero omenti per uterum pressu, ad mammas deferri, quae inde intumescant. D. nat. pueri 22. Detracto ergo puer nutrimento valere non potest.

Mulieri in utero gerenti si mammae ex improviso graciles fiunt, abortit. Aph. V. 37.

Et si duo in utero fuerint foetus, et dextrae potius id accidat, puerum existimes invalidum esse, et si sinistrae, foeminam. Aph. V. 38.

Bene Hippocrates novit consensum inter mammas et uterum, quare etiam si menstruatio copiosior esset, cucurbitam mammae admovere jubet. Aphor. V. 30. Hic ergo ex collapsis mammis morbum pueri in utero cognoscit. — Quod autem attinet opinionem, qua in sexum foetus emortui conjicit ex collapsu mammae alterius, id eo nititur, quod puerum, ut partem validiorem in dextro ut validiore uteri loco esse existimet, ac vice versa feminam in sinistro. D. morb. vulg. II. Aphor. V. 48. — Cui opinioni etiam nunc assentire nemo non dubitabit.

Collapsum autem mulieris turborem vitalem signum habuit foetus in utero aut aegrotantis aut mortui. D. superf. 43.

Ad prohibendum abortum haec commendantur: Triticum tostum et molitum, uvam albam passam contusam, haec aqua mulsa diluta, pauco oleo affuso, jejunae bibenda dato. Postea vero raphani semen contritum, acetum et adipem anserinum, haec mixta comedat, et lauri folia in subdititio apponat.

deinde origanum et pulegium a) et polentam ex aqua bibat. Lauri foliis contritis, gummi ammixto inspersis, haec aqua diluta potui exhibeto. Lauri fructum, tenuissime tritum, et suis foeminae adipem cum melle liquatum, haec omnia simul mixta delingenda prabeto. D. his q. uterum non gerunt. 254.

a) Pulegium Poley s. Bock l. c. x. Thymus serpillum recent.

Si haec remedia aliquando profecerunt, necesse mihi videtur, feminam alias prae debilitate non potuise foetum perferre, alias enim rei magis obessent, quam proficerent. Idque maxime de lauri baccis cogito.

At si mulier abortionem fecerit, neque puer exierit, sive computruerit, sive aliud quid tale contigerit, porri et apii succum ex utrisque collectum, et per linteum expressum, olei rosacei heminam, adipis anserini quadrantem, resinae obolos a) tres in oleo liquatos, haec omnia mulieri a pedibus excitatae in uterum infundito, et ut decumbens quam diutissime detineat, jubeto, deinde per quatuor dies in sella collocato, et puer putrefactus prodit. D. morb. mul. I. 192.

a) Obulus scrupulum semis (drachmae partem sextam) aequare creditur. Plin.

DE MAMMARUM MORBIS verbum dicere, non alienum erit.

Si lac deficiat, porra trita, aqua macerata comedat, calida lavet, et porra et brassicam in cibo comedat. Citysi a) folia coquito, et decoctum bibat. Quin et foeniculi, nec non radicis illius decoctum bibat; et hordeum una cum butyro coctum et refrigeratum potui exhibeto. Ad hoc etiam conducit Hippomarathrum b) et Hipposelinum c), quae simul omnia lac augent. Sed et salviam coquito. Aut

ex juniperi baccis aut cedri fructu expressum succum vino affuso bibat, et reliqua affuso oleo edat. Ab acribus, acidis, salsis et omnibus oleribus crudis arceatur. Cardamum d) ex vino potum etiam ad id valet, nam lac expurgat. Viticis etiam semen in potu exhibeto. Quin et betae succus lac copiosum facit. D. morb. mul. I. 173.

a) Quae sit haec planta eruere non potui.

b) Hippomarathrum majorem foeniculi speciem esse, et lac admodum augere ait Chabraeus. v. stirp. sciagr. 387. 635.

c) Hipposelinum quid sit non liquet. An Apii species?

d) Cardamum . . Nasturtium, Gauch Blümen s. Bock von der Kreuter Unterscheid ꝛc. XXXII. Sisymbryum Nasturtium rec. Has plerasque plantas lac augere etiam nostrae aetati probatur.

Tubercula lactea. Si mulieri mamma aspera redditur, stybis a) semen aut rubi ex aqua et oleo coctum in cataplasmate obducito, et betae folia injicito, deinde ex linteo in pilei acuti aut tiarae formam conficito, tanta magnitudine, ut mammam capiat, sic mammam immittito.

Si vero suppuret, incidito, b) et curationem per linamenta ex lana succida adhibeto, eandemque superponito. Postea lenticulam coctam cum polenta mixtam, ex cataplasmate admoveto. D. morb. mul. II. 232.

a) Si Galenum sequi licet pro Στυβῆς legitur σοιβῆς σπέρμα. Stoeben autem capitatam (Centaureae genus, ut ex icone opinor) Chabraeus describit 344, aliamque Stoeben Phloeon eod. loc.

b) Non incidito, melius dixisset.

Errata.

Pag. 4 lin. 5 loco: cona- lege conatum. P. 8 lin. 22 loc. sint leg. sunt. P. 10 l. 23 loc. suo leg. sua. P. 11 lin. 10. loc. not leg. nat. P. 13 l. 30 post transmigrasse, leg. scriptum sit. P. 14 l. 23 pro en leg. ex. P. 15 l. 6 pr. ab leg. a. P. 15 l. 25 pro descurrat leg. decurrat.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

PRAESES.

Historicae in rationem, qua literarum progressus procedebant, inquisitiones triplice usu commendantur. Primum enim ipsae hae indagationes optime edocent, quibus vel solidis vel tenuibus fundamentis nitantur, quae impraesentiarum obtinent sententiae, nec non deinde novorum saepe inventorum materiam praebent, in bibliothecis scilicet innumeris scientiae seminibus intermortuis quasi jacentibus et saepissime quidem post secula demum nanciscentibus explicationem, utilissime denique ipsi etiam inquirenti se exhibent, multo plura nempe, quam in ipsis rei initiis vel spectaret, inter scrutandum edocto.

Jam ob ipsam hanc causam, praenobilissime Domine Candidate, historicam a te inquisitionem dissertationis tuae inauguralis thema electam esse, lubentissime vidi, cum potissimum coactus esses, parenti medicinae, Hippocrati, cujus libros nostra hac aetate ne vidissent quidem plurimi medici, operam dare.

Publice autem confiteor, nullas plane vel quoad materiam vel quoad formam libelli hujus conscribendi meas fuisse partes, tuus ille totus, et plane etiam honorificam sic opinionem confirmasti, quam de eruditione Tua examen cum laude peractum excitavit.

Ex animo Tibi laudabilem hunc studiorum academicorum finem congratulor, et enixe etiam opto, ut futura vitae tuae conditione otium ad literas conferre Tibi permittatur. Fac saepe sis memor et mei et studiorum universitatis hujus amica benevolaque mente.

Dr. Riecke.

Tubingae D. 10. Aug. 1823.